

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 87

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinrichus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Omnibus fidelibus tam presentibus quam et futuris notum fore cupimus, qualiter assidua proclamatio nostras aures inquietabat ob inveteratas et frequentes contentiones, quae semper erant inter Fuldensem et Herveldensem familiam, quae iam in tantum convaluerunt, ut etiam innumerabilia inter se fierent homicidia et inde maximum detrimentum utraque pateretur aecclesia. Quapropter, ne talis ac tantae presumptionis audacia sine digna ulcione inter utrasque familias diutius remaneret, cum consensu et consilio utriusque aecclesiae abbatum Richardi Vuldensis et Arnolti Herveldensis aliorumque fidelium nostrorum per huius kartulae preceptum tale constituimus decretum: Ut primum omnis iniustitia, quae iam per multa tempora ex utraque parte incorrecta remanserat, ab advocatis et prepositis illorum utrimque pleniter corrigatur. Et deinceps, si quis ex familia utriusque aecclesiae aliquem servorum vel sancti Bonifacii vel sancti Wigberti insequitur et ausu temerario et armata manu ad occidendum vel ad depredandum eius curtem sive domum infregerita et eum inpugnaverit, et si ille auf aufugerit aut si forte domi non fuerit vel quoquo modo ab eius potestate sive inpugnatione se liberaverit, illi, qui huius audacie et invasionis dux et princeps fuerit, tollantur corium et capilli et insuper in utraque maxilla ferro ad hoc facto etiam candenti bene cratetur et comburatur, reliqui eius sequaces cute et capillis priventur. Si autem ibi occiditur, omnes, qui huius homicidii seu invasionis participes sunt, supradictae poenae subiaceant. Et si ex una familia sunt ille, qui occiditur, et illi, qui occidunt, omnes singulariter weregeldam occisi et omne debitum, sicut hactenus fecerunt, propriae aecclesiae persolvant. Si autem ille, qui occiditur, ex una familia est et illi, qui occidunt, ex alia, auctor homicidii solus pro omnibus weregeldum persolvat. Et in quocumque loco aut ex una aut ex alia familia aliquis occiditar, nisi ille, qui homicidium facit, probabiles testes habeat aut per ferrum candens hoc probare valeat, quod ob aliam causam non fecisset, nisi quod de inpugnatione ipsius aliter vivus effugere non potuisset, supradictae poenae subiaceat. Si autem hoc probare potest, nihil patiatur, nisi quod hactenus ipsa aecclesia pro lege habuit. Istud constitutum advocatus, in cuius advocatione hoc evenerit, cum scientia utrorumque abbatum in presentia nunciorum illorum fideliter adimpleat. Si vero advocatus aut mercede conductus aut misericordia motus aliqua calliditate hoc decretum avertere voluerit, gratia nostra et advocatione careat, nisi supra sacras reliquias hoc adfirmare audeat, quod homicidam seu invasorem nusquam adquirere possit; et tamen quam citissime poterit adquirat. Et si ipse, in cuius advocatione hoc evenerit, reum adquirere non poterit vel noluerit, fideles alterius abbatis, si possint, adquirant et ad predictam poenam presentibus nunciis utrorumque abbatum adpresentent. De kamerariis vero et pincernis aliisque honoratis utrorumque abbatum servitoribus hoc constituimus, ut, si quis tale aliquid illorum fecerit, praedictae poenae subiaceat secundum arbitrium abbatis vel X libris denariorum redimatur. Et hoc volo firmiterque precipio, ut rem semel bene ac recte diffinitam nullus iterare audeat vel renovare. Si autem predicti abbates hoc decretum' adnullare cupiunt, mihi vel meo successori II libras auri uterque persolvat, conatum tamensu um non perficiant. Et ut haec constitutio stabilis et inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione hanc kartam insigniri iussimus. Signum domni Heinrichi Romanorum invictissimi imperatoris augusti. Odalricus cancellarius vice Aribonis archicapellani recognovit. Data est anno dominicae incarnationis MXXIII, inductione VII, regnante Heinricho imperatore augusto annos XXII, imperii autem eius

anno XI; data in VII. idus martii; actum Babenberc.